



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta

Gallebart, Jean

Coloniæ Agrippinæ, 1621

Decretum prorogationis Sessionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39157

tuerint materia ipsa Sacramentorū & reformationis examinationis examinari & discuti: vt omnia maturo consilio, cū dignitate & grauitate debita fiant; bonum, opportunum, & expediens censuit, censetq; Sessionem prædictam, quæ hoc ipso die, vt præfertur, celebranda erat, ad diem Iouis, infra Octauam Pentecostes proximè futuram, quo ad ipsas materias expediendas, differendam & prorogandam esse, quemadmodum differt ac prorogat; quam diem & rei gerendæ maximè opportunam, & Patribus præsertim absentibus percommodam iudicauit & iudicat: Hoc tamen adiecto, quòd terminum ipsum ipsa sancta Synodus, pro eius arbitrio & voluntate, sicuti rebus Concilij putauerit expedire, etiam in priuata Congregatione, restringere & imminuere possit & valeat.

SESSIO DECIMA,
BONONIÆ CELEBRATA DIE
II. MENSIS IVNII,
M. D. XLVII.

Decretum prorogationis Sessionis.



AMVIS hæc sacrosancta œcumenica & generalis Synodus Sessionem, quæ die vigesima prima mensis Aprilis proximè præteriti, super Sacramentorum & reformationis materijs in hac inclyta ciuitate Bononiæ, ex decreto, in vrbe Tridentina, in publica Sessione, die vndecima mensis Martij promulgato, celebranda erat, propter aliquas causas, ac præsertim propter absentiam nonnullorum Patrum, quos breui affuturos sperabat, ad hunc præsentem diem differendam & prorogandam esse decreuerit: volens tamen cum ijs, qui non venerunt, etiam adhuc benignè agere eadem sacrosancta Synodus, in Spi-

in Spiritu Sancto legitime congregata, praesidentibus in eisdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus & Apostolicae Sedis Legatis, statuit & decernit, Sessionem ipsam, quam hac die secunda mensis Iunii, praesentis anni millesimi quingentesimi quadragiesimi septimi celebrare decreuerat, ad diem Iouis post festum Natiuitatis Beatae Mariae Virginis, quae erit decima quinta mensis Septembris proximae futuri, quo ad praedictas & alias materias expediendas, differendam & prorogandam esse, quemadmodum differt & prorogat; ita tamen, quod prosecutio discussionis & examinationis eorum, quae tam ad dogmata quam ad reformationem pertinent, interim non omittatur; & terminum ipsum ipsa sancta Synodus, pro eius libito & voluntate, etiam in priuata Congregatione, abbreviare & prorogare liberè possit & valeat.

Die XIV. Septemb. M. D. XLVII. in Congregatione generali Bononia, prorogata fuit Sessio, quae futura erat die sequenti, ad beneplacitum sacri Concilij.

BVLLA RESVMPTIONIS
CONCILII TRIDENTINI,
SVB IVLIO III. PONT.
MAX.

IVLIVS EPISCOPVS, seruus seruorum DEI, ad futuram rei memoriam.
Cum ad tollenda religionis nostrae diffidia, quae in Germania longo tempore, non sine totius Christiani orbis perturbatione & scandalo vigerunt; bonum, opportunum & expediens esse videatur, sicuti etiam charissimus in Christo filius noster, Carolus Romanorum Imperator semper Augustus, nobis per suas litteras & nuncios significari fecit, vt sacrum aecumenicum generale Concilium per fel. rec. Paulum Papam